

Resp. Dist. *maj.* Non erunt ex jure naturae si procedunt ex sola iniquitate absque ullo fundamento in natura; conc. Si cum fundamento in ipsa exigentia naturae; neg. In statu innocentiae non minus ac nunc fuisset jus ad acquirendum et retinendum dominium, licet hujus retentio non fuisset ut nunc tam necessaria; inde theologi divisioni rerum et dominiorum, prout de facto habetur in statu naturae lapsae, opponunt in statu innocentiae quamdam bonorum communitatem; etenim, ut observat Suarius (1), dominium saltem transitorium necessarium fuisset in illa felici aetate, nam qui collegisset fructus v. g. arboris ad comedendum eo ipso acquisivisset jus ad illos, nec posset, ipso invito, ab aliis spoliari. Dominium stabile potuisset etiam de facto introduci, si homines voluissent uti jure suo; tamen de facto non fuisset universaliter introductum, tum quia copia abundantissima bonorum materialium semper et ubique absque cura et arduo labore praesto fuisset, tum quia homines ab inordinatis affectibus immunes fraternae amicitiae vinculo et omni officiorum genere sese mutuo devinxissent (2). In statu vero naturae lapsae, juxta D. Thomam (3), bonorum divisio est necessaria «propter tria; primo quidem quia magis »sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli »competit, quam id quod est commune omnium vel multorum; quia »unusquisque laborem fugiens relinquit alteri id quod pertinet ad »commune, sicut accidit in multitudine ministrorum: alio modo »quia ordinatius res humanae tractantur, si singulis imminet propria cura alicujus rei procurandae; esset autem confusio si quilibet indistincte quaelibet procuraret: tertio quia per hoc magis »pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua »contentus est. Unde videmus quod inter eos qui communiter et ex »indiviso aliquid possident frequentius jurgia oriuntur.»

(1) De oper. sex dierum L. 5, c. 7.—(2) Lugo (D. 6, n. 5) de hac re ait: «Accipitur jus naturale pro lege obligante independenter ab omni praecepto positivo superaddito. Et in hoc sensu est quidem de jure naturae divisio rerum et »dominiorum in genere loquendo, quia naturalis ratio dictat, in circumstantiis »presentibus naturae lapsae et hominum multitudinis necessariam esse divisionem: modus tamen illius non est complete de solo jure naturae, sed pendet saltem negative a jure humano; non solum quia multi modi acquirendi et perendi ac transferendi dominium introduci possunt, et de facto introducti sunt jure »mere humano; sed etiam quia illi alii modi acquirendi dominium, qui videntur »naturae jure introducti, adhuc saltem negative pendunt a jure humano, quatenus potuerant jure humano impediri, sicut de facto impeditur, ne thesauri dominium acquiratur inventori privato, et plures redduntur jure humano incapaces acquirendi dominium. Quando ergo dicitur (ab antiquis) *jure gentium* introductas esse rerum divisiones, sermo est de divisione in genere loquendo praescindendo ab hoc vel illo modo dividendi et acquirendi dominium: et tunc jus »gentium (non) condistinguitur... a jure naturali.»—(3) 2, 2, Q. 66, a 2.

Obj. 8.^o In ipso jure (1) servitus definitur: «constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subicitur.» Et merito, nam servitus privat hominem personae dignitate, et ab eo aufert libertatem, quae pretio inaestimabilis est.

Resp. Explico sensum, servitus est contra naturam i. e. contra conditionem naturalem, qua seclusis extrinsecis et justis titulis pacti, belli, delicti, nativitatis, homo nascitur naturâ liber; conc. Contra naturam i. e. ut semper et pro omni casu sit illicita; neg. Nec verum est quod additur, servum spoliari dignitate personae, semper enim in eo sarta tectaque manere debent jura homini essentialia, solum quoad accidentalialia, ut est usus utilis ad res externas, et quidem rationalis, propriae libertatis imminuit dignitas personae, sed non aufertur, monente Apostolo (2): *Domini, quod justum est et aequum servis praestate, scientes quod et vos Dominum habetis in caelo.* Certe gentiles olim, et qui adhuc hodie eos imitantur: «non jam duce natura... sed cupiditatibus obedientes suis, homines alios infra se putare... et perinde habere ac nata jugo jumenta» coeperunt; sed data Ecclesiae pace, «apostolica documenta »de fraterna inter christianos conjunctione animorum sancti Patres »admirabili exposuere sapientia, et caritate pari ad servorum utilitatem transtulerunt, hoc enisi convincere, ut jura quidem dominis in operis servorum ex honesto constarent, nequaquam vero liceret imperiosa illa potestas in capita et immanis saevitia (3).» Inde etiam patet quid respondendum sit ad ultimam rationem, nempe in servis non tam vendi ipsam substantiam libertatis, quae re vera qualibet pecunia est inaestimabilis, quam usum utilem et perpetuum hujus libertatis, qui pretio comparabilis est.

70. Scholion. De servitutis abolitione, tenendum, eam omni opera et studio a christianis procurandam esse.

1.^o Nam cum servitus occasione peccati orta sit, — cum plerumque contra jus et fas per summam nequitiam in eam homines abripiantur; — cum in ea immani crudelitate exerceantur et teneantur; — cum etiam justa, minus deceat humanam dignitatem; — praesertim postquam Christus omnes dominos et servos liberavit, omnes fratres esse voluit, omnes ad eandem beatitudinem participandam sine personarum acceptione vocavit (4): *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive judaei sive gentiles, sive servi sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus:* omnibus christianis cordi esse debet illos abusus, ipsiusmet naturae rationalis probrum et dedecus penitus abolere, omnesque homines

(1) Inst. L. 1, tit. III, de *jur. person.*—(2) Coloss. IV, 1.—(3) Encycli: *In plurimis* Leonis XIII, 5 Maj. 1888, ad Episc. Brasiliae.—(4) I Cor. XII, 13. Vid. Gal. III, 26, Colos. III, 11.

unius Christi redemptoris fratres et cohaeredes ad statum fraternae et christianae libertatis adducere.

2.º Id exoptulat Ecclesiae consuetudo; nam ut tradit Leo XIII (1): «Catholicae Ecclesiae, quae omnes homines materna caritate complectitur, nihil fere antiquius fuit inde ab initio... quam ut servitutem, quae misero jugo premebat mortalium quamplurimos, sublata cerneret penitusque deletam... Neque aetatis decursu hoc Ecclesiae studium adserendi mancipia in libertatem elanguit; imo quo fructuosius erat in dies, eo flagrabat impensius (2). Quod certissima testantur monumenta historiae, quae eo nomine plures commendavit posteritati Decessores Nostros, quos inter praestant S. Gregorius Magnus, Hadrianus I, Alexander III, Innocentius III, Gregorius IX, Pius II, Leo X, Paulus III, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius VII, Gregorius XVI, qui omnes curam et operam contulere ut servitutis institutio, ubi vigeat excideret, et caveretur ne unde exsecta fuerat, ibi ejus germina reviviscerent. Tanta laudis haereditas a Praedecessoribus tradita repudiari a Nobis non poterat: quare nulla praetermissa a Nobis occasio est, improbandi palam damnandique tetricam hanc servitutis pestem; ac data opera de ea re in litteris egimus (3)... quibus gratulati sumus de iis, quae pro mancipiorum libertate in ea (brasili-ca) regione gesta fuerant... simulque ostendimus quantopere servitus religioni et humanae dignitati adversetur.»

3.º Id secum fert religionis catholicae divina virtus. «Ubi enim christiani mores legesque vigent, ubi religio sic homines instituit, ut justitiam servent atque in honore habeant humanam dignitatem, ubi late spiritus manavit fraternae caritatis, quam Christus nos docuit, ibi neque servitus, nec feritas, neque barbaria extare potest; sed floret morum suavitas, et civili ornata cultura christiana libertas (4).»

4.º Ut debitum obsequium votis Leonis XIII praestetur, qui «catholicos omnes paterna voce» compellat, et omnium «charitati... opus tam sanctum et salutare» extinguendae cum Evangelii propagatione servitutis, commendat. «Omnes enim participes ejus optamus fieri, exigua licet collata stipe... Propterea constituimus, ut quotannis, qua die in quibusque locis Epiphaniae Domini celebrantur mysteria, in subsidium memorati operis pecunia stipis instar erogetur. Hanc autem solemnem diem prae caeteris elegimus, quia... ea die Filius Dei primitus sese gentibus revelavit, dum Magis videndum se praebuit, qui ideo a S. Leone M. decessore Nostro scite dicti sunt vocationis nostrae fideique primi-

(1) Leo XIII, Encycl. *De servitutis abolitione*. 20 Nov. 1890.—(2) Suavi Ecclesiae influxui omnino tribuendum, servitutem in Europa esse deletam et ipsis legibus interdictam. In novissimo codice civili hispano art. 1583 habet: «Puede contractarse esta clase de servicio (de criados y trabajadores asalariados) sin tiempo fijo, por cierto tiempo, ó para una obra determinada. *El arrendamiento hecho por toda la vida es nulo.*»—(3) Encycl. *In plurimis*.—(4) Encycl. *De servitutis abolitione*.

»tiae. Itaque bona spe nitimur fore, ut Christus Dominus permotus charitate et precibus filiorum, qui veritatis lucem acceperunt, revelatione divinitatis suae etiam miserrimam illam humani generis partem illiustret, eamque a superstitionis coeno et aerumnosa conditione, in qua tamdiu abjecta et neglecta jacet, eripiat (1).»

ARTICULUS III.

De modis acquirendi dominium praecipue de contractibus.

71. Modus acquirendi dominium dicitur quilibet titulus seu causa ex se idonea ad dominium conferendum. Alii sunt modi naturales, eo quod oriantur ex jure naturae, aut jure gentium sintque apud omnes gentes usitati. Alii sunt civiles, eo quod oriantur solum ex jure civili, et non sint apud omnes gentes usitati. Modi naturales sunt undecim: nempe occupatio, nativitas, alluvio, specificatio, confusio, permixtio, accessio, aedificatio, plantatio, fructuum perceptio, traditio. Modi civiles acquirendi dominium bonorum fortunae sunt octo nempe: Praescriptio seu usucapio, donatio, haereditas, legatum, fideicommissum, bonorum possessio, acquisitio per arrogantiam et contractus. Non agemus speciatim de omnibus, nam aliqui solo nomine declarantur et satis in Theologia morali explicantur. Solum dicemus aliqua de iis, quae scholastica disquisitione utile est constabilire.

THESIS X.

Domino diligenter inquisito et non comparente, non est obligatio dandi rem inventam pauperibus.

72. Nota. I. Certum est, res inventas et apprehensas, si nullius sint, jure naturae et gentium fieri primi occupantis: «Quod enim nullius est (2) id ratione naturali occupanti conceditur.» Approbat etiam jus hispanum (3). Sed quaestio est de rebus inventis quae

(1) Leo XIII, Encycl. *De servitutis abolitione*.—(2) Leg. 3, ff. de *acquirendo dominio*.—(3) Art. 610. Novis. cod. «Se adquieren por la ocupación los bienes apropiables por su naturaleza que carecen de dueño, como los animales que son objeto de la caza y pesca, el tesoro oculto y las cosas muebles abandonadas.»

sunt a domino amissae et necdum derelictae adeoque adhuc dominum habent licet ignotum, utrum si adhibita sufficienti inquisitione dominus non compareat, possit inventor licet dives rem retinere? Dicitur adhibita sufficienti inquisitione seu diligenter inquisito domino, nam ipsa aequitas naturalis postulat, ut pro rebus alienis eam quisque diligentiam habeat, quam pro rebus suis alias vellet habere; nemo autem est qui non velit, si rem amisit, eam ab inventore sibi restitui, ac proinde inventorem obligari ad dominum rei inventae quaerendum (1). Idem exigit charitas, quae praecipit alterius damnum cavere, quantum sine proprio incommodo fieri valet; idem justitia, nam qui rem alterius inventam detinet, veluti in suam suscipit custodiam, quare tenetur inquirere dominum ut illi eandem restituat; secus debuisset rem ubi inventa erat relinquere et non occupare.

II. Thesis est communis inter recentiores et omnino segura, contra antiquiores auctores, qui oppositam sententiam sequebantur. Absolute hanc obligationem non dari primus forte censuit Dominicus Soto (2); Molina (3) autem testatur multos jam suo tempore eandem assertionem amplexos fuisse. Eandem tenent Navarro, Sarmiento, Henriquez, Alphonsus Rodriguez apud Lugonem (4), Haunoldus, Ilsung, Tamburinus, etc. Concedunt esse probabilem. Layman, Lessius, Platellius, Vazquez (5). Oppositum sentiunt Palaus, Lessius (6), Cajetanus, etc. Distinguunt cum Lugone (7), Holz, Croix, S. Ligorius (8), qui dicunt:

(1) Cod. novis. hisp. haec praescribit. «Art. 615. El que encontrar una cosa »mueble, que no sea tesoro, debe restituirla á su anterior poseedor. Si éste no »fuere conocido, deberá consignarla inmediatamente en poder del Alcalde del »pueblo donde se hubiese verificado el hallazgo.—El Alcalde hará publicar éste »en la forma acostumbrada, dos domingos consecutivos.—Si la cosa mueble no »pudiere conservarse sin deterioro ó sin hacer gastos que disminuyan notable- »mente su valor se venderá en pública subasta luego que hubiesen pasado ocho »días desde el segundo anuncio sin haberse presentado el dueño, y se deposi- »tará su precio.—Pasados dos años, á contar desde el día de la segunda publi- »cación, sin haberse presentado el dueño, se adjudicará la cosa encontrada, ó »su valor, al que la hubiese hallado.—Tanto éste como el propietario estarán »obligados, cada cual en su caso, á satisfacer los gastos.—Art. 616. Si se presen- »tarse á tiempo el propietario, estará obligado á abonar, á título de premio, al »que hubiese hecho el hallazgo, la décima parte de la suma ó del precio de la »cosa encontrada. Cuando el valor del hallazgo excediese de 2000 ptas. el pre- »mio se reducirá á la vigésima parte en cuanto al exceso.»—(2) De just. et jur. L. 5, q. 3, ar. 3 ad 2.—(3) Tom. 3, tract. 2, D. 746.—(4) D. 6, n. 138.—(5) Opus. de restitut. c. 5, D. 4, n. 42.—(6) C. 14, n. 48.—(7) D. 6, nn. 104, 140.—(8) L. 3, n. 603.

rem vel pretium ejus servandum esse dum possibile sit dominum invenire, quod si utrumque servari nequeat res vel pretium est erogandum in usus pios, nisi spectatis circumstantiis longitudinis temporis, vel distantiae loci, vel quod res non possit amplius recognosci a domino ut accidit in nummis ordinariis, res fiat nullius et ideo acquiratur a primo occupante.

73. Prob. 1.º Cum Soto. Quia talia hoc ipso quod per sedulam inquisitionem tempusque ad id sufficiens dominus non potest apprehendi, censentur adespota seu sine domino. Sed bona adespota seu nullius, fiunt primi occupantis seu inventoris, nisi forte dominus compareat. Ergo...

2.º Quia super hujusmodi bonis numquam solet fieri compositio cum Pontifice, quod signum est non esse necessarium in pios usus ea eroganda esse.

3.º Evertendo fundamentum contrariae sententiae: Res inventae debent applicari prout rationabiliter censeatur velle dominus. Sed non potest supponi communiter esse intentionem dominorum bona inventa in pauperes distribuere. Ergo... *Min.* prob. a) In primis non hoc est supponendum de infidelibus, quibus eleemosynae non prosunt, et de catholicis ipsis, ait Layman (1), certum esse non omnes velle ut a se perdita et dein ab aliis inventa, dentur pauperibus: sed potius velle ut serventur, et sibi iterum restituantur: deinde quamvis aliqui pie vellent deperdita pauperibus dari non tamen vellent forte cum obligatione. b) Illa voluntas debet supponi in domino rei amissae, quae ipsi magis faveat. Sed favet magis rem inventam esse inventoris. Ergo... *Min.* prob. Sic verus dominus facilius recuperaret sua bona. Ergo haec sententia est ei optabilior. Prob. *min.* Tum quia facilius est recuperare rem ab uno inventore quam a pluribus pauperibus, tum quia sic facilius res conservatur; si enim inventor rem accipiendo nihil aliud inde haberet, quam molestiam inquirendi dominum, certe multi res inventas negligenter, nec vellent onus sine lucro suscipere; quia saltem ex justitia ante apprehensionem non tenerentur curam indagandi dominum suscipere. Confir. Qui modo aliquid perdidit, potest alia occasione alia invenire, idque etiam retinere cum lucro forte aequali. Ergo haec sententia est omnibus optabilis.

74. Obj. 1.º S. Augustinus (2) ait: «Si quid invenisti et »non reddidisti rapuisti.» Ergo est obligatio inventa restituendi modo meliori, quo potest fieri, scilicet si non domino, saltem piis causis. Confir. In Hispania PP. de Mercede et Trinitarii habebant a Rege et Pontifice privilegium, exigendi pro redemptione capti-

(1) De just. L. 3, sec. 5, tr. 1, c. 5, n. 24.—(2) C. *Si quid.* caus. 14, q. 5.

vorum bona inventa etiam sub excommunicatione. Ergo est obligatio, etc.

Resp. Neg. *conseq.* Nam verba D. Augustini satis explicantur de eo, qui non sufficienter dominum acquisivit, ut ipse Vazquez nobis contrarius agnoscit. Eadem responsio datur ad c. *Multi* ejusdem causae et quaestioni ex S. Hieronymo. Ad confir. dist. *conseq.* Est obligatio praescindendo a legibus positivis hoc peculiariter statutibus; neg. Si dentur tales leges; conc.

Obj. 2.^o Est saltem communitas doctorum antiquorum; est juxta aliquos consuetudo, quae induxit legem, res taliter inventas dandi pauperibus. Ergo.

Resp. Illam doctorum communitatem non tollere probabilitatem sententiae nostrae cum plurimi eorum agnoscant nostram esse probabilem et non parum imminutam esse per doctores qui posterius scripserunt: Quoad consuetudinem nego *antec.* Non satis constat de hac consuetudine saltem ut obligante, ut eruitur ex ipsis auctoribus contrarie sentientibus et nostrae sententiae probabilitatem non negantes.

Obj. 3.^o Nostra sententia dum spem facit lucrandi, dat ansam omittendi diligentiam requisitam ad indagandum dominum. Ergo est periculosa nec admittenda.

Resp. Dist. *antec.*... Dat per accidens vel potius permittit ab aliis sumi talem ansam; conc. dat eam per se positive; neg. Saepe abutuntur mali sententiis bonis; sed hic sine lucro facerent, nam essent inventores malae fidei ac proinde possessores malae fidei, qui a re restituenda domino vel pauperibus non liberantur.

Obj. 4.^o Si non debent dari pauperibus bona inventa, tunc neque debent eis applicari debita incerta sine delicto. Sed hoc est nimium. Ergo...

Resp. Conc. *Maj.* Neg. *min.* Casus est iste, vendidisti e. g. aliquid alteri ignoto, isque plus pecuniae tibi dedit quam par erat, tu non attendens bona fide accepisti: consequenter itaque in hoc casu et similibus dico, post factam sufficientem inquisitionem posse te retinere taliter accepta; se habent enim sicut res bona fide inventae (1).

Obj. 5.^o Ex dictis sequeretur etiam bona incerta ex delicto non esse danda pauperibus. Sed hoc est contra communissimam omnium sententiam. Ergo... *Antec.* prob. Etiam potest dici dominum non velle, ut sibi debitum pauperibus detur, sed potius retineatur ut ipse facilius id recuperet: dein etiam domino non semper prodest eleemosyna, si sit infidelis, etc. Ergo...

(1) Haunoldus, Layman. Probabile censet Lessius c. 14, n. 48.

Resp. Neg. *Maj.* In primis enim de his debitis ex delicto est specialis canon nempe *Cum tu 5 De usuris*, ubi Alexander III expresse ait usuras dominis vel haeredibus, vel si hi deficient pauperibus restituendas esse, et quidem etiam eas usuras, quae ante decretum suum in concil. Lateranensi promulgatum, perceptae sunt. Ratio autem hujus naturalis obligationis esse videtur ex Haunoldo (1) quod natura non velit, ut quis ex furto commodum reportet, neque impune peccari contra justitiam, ut homines alicui possint ad frequentius peccandum.

Obj. 6.^o Aliter D. Thomas sentit, cum asserat (2). «Si ille, cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando in eleemosynas.»

Resp. Neg. saltem probabilius *antec.* nam de illis debitis, ibi praesumendum est agere D. Thomam de quibus proxime in articulis praecedentibus loquebatur, nempe de debitis ex injuste ablatis, cum alia debita nec insinuet; maxime cum infra propius accedens ad nostram quaestionem resolvat (3). «Quaedam res inventae fuerunt de propinquo in alicujus bonis; et tunc si quis eas accipiat non animo retinendi, sed animo reddendi domino, qui eas, pro derelictis non habet, non committit furtum: et similiter si pro derelictis habeantur; et hoc credat inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum.»

75. *Quaeres*, si debita incerta ex delicto jure naturali danda sunt piis causis, quomodo possit Summus Pontifex vi Bullae cruciatae, vel alterius privilegii admittere compositionem, ut quis retenta majori parte debiti reddat valde exiguum?

Resp. Non est dubium Pontificem id posse ex rationabili causa: talem autem haberi in dubio praesumendum est pro Pontifice. Haunoldus (4) rationem dat quia jus naturale non obligat nisi cum subordinatione ad legitimum magistratum, cui a Deo data est administratio causarum piarum; unde si Pontifex judicat, bono publico magis expedire, ut attenda fragilitate hominum (qui totum, vel majorem partem debiti, vix restituerent, sed potius nihil cum periculo salutis aeternae) parum exigatur et inultum remittatur, praesertim in ordine ad finem tam necessarium, ac praeclarum, qualis erat e. g. subsidium in bellum contra infideles et nunc est subsidium pauperis Ecclesiae, etc.: jam tunc talis remissio erit conformis voluntati rationabili generis humani (5).

(1) Tom. I, tract. V, c. 1, contr. 1, n. 43.—(2) 2, 2, Q. 62, a. 5 ad 3.—(3) 2, 2, Q. 66, a. 5 ad 2.—(4) Tom. I, trac. 5, c. 1, contr. 1, n. 44.—(5) Vid. Lug. D. 6, n. 150.

THESIS XI.

Praescriptio debitis conditionibus ornata valet etiam pro foro interno conscientiae.

76. Nota. I. Possessio in genere definitur *Rei corporalis detentio corporis et animi jurisque adminiculo*. Dicitur 1.^o *Rei corporalis*: quia juxta communem loquendi, modum legum civilium incorporatarum rerum ut beneficiorum, etc., non datur possessio, sed tantum quasi possessio. 2.^o *Detentio* per quam intelligitur etiam prima apprehensio, quae est possessionis inceptio. 3.^o *Corporis* i. e. detentio corporalis quae fieri potest vere vel fecte. Vere fit apprehendendo manibus, vel pedibus ingrediendo, saltem partem rei possessae; neque enim opus est omnes partes fundi pedibus terere. Fecte ex juris dispositione v. g. oculis, si venditor dicat «Fundum quem video tibi trado (1).» Idem est si tradatur scriptura, clavis ad cellam, etc. 4.^o *Et animi* h. e. facta animo habendi rem ut meam: non quidem ut absolute judicem rem esse meam, sed ita ut velim ab aliis pro domino talis rei haberi, saltem quoad externam apparentiam. 5.^o *Juris adminiculo*, i. e. lege non resistente, vel non excludente possessionem, hac definitione comprehenditur; quia jus non resistit omni possessioni etiam injustae rerum scilicet non exceptarum. Haec est possessio facti, possessio juris definitur *jus insistendi rei tamquam suae, non prohibita possideri*. Per verbum *jus* distinguitur a possessione facti, quae praescindit a jure possidendi vel non; per verba *insistendi rei tamquam suae*, et declaratur verum possessorem esse qui nomine proprio rem detinet, et significatur jus eam conservandi et tuendi etiam vi vi repulsa, si opus fuerit; per verba *non prohibita possideri* idem exprimitur quod supra per verba juris adminiculo.

Possessio dividitur. In possessionem *naturalem tantum, civilem tantum, naturalem et civilem simul*, in quarum tamen explicatione non conveniunt auctores. Juxta Lessium (2) *possessio naturalis* est «quando res corpore simul et animo retinetur.» Potest haec possessio esse cum mala fide, quando scilicet is qui putat, se non esse dominum, vult tamen rem corpore et animo retinere: potest etiam esse cum bona fide, quando scilicet conjuncta est possessio naturalis cum civili. Quare naturalis possessio dabitur tunc quando quis naturali seu reali detentione per se ipsum corporis et animi ac juris adminiculo possidet, sive dein juste, sive injuste,

(1) L. 1, § *Si Jusserim*. 21 ff. de acquirenda vel amittenda possessione.—(2) L. 2, c. 3, n. 44.

sive bona, sive mala fide. *Civilis possessio tantum*, dabitur, quando quis rem non realiter, sed moraliter in existimatione civili aut juridica possidet, ut si quis rem possidet per alium, vel si per neminem possidet, prius tamen captam naturaliter possessionem, animo ac juris adminiculo retinet: sic quilibet civis possidet suos hortos vel agros extra civitatem. *Civilis et naturalis simul possessio* dabitur quando quis naturali detentione et simul in morali aestimatione hominum, rem retinet: et sic civis possidet domum, in qua habitat. Hinc intelliges posse naturalem possessionem a civili separari: ut si invasor occupet rem meam immobilem, ego civiliter possideo, ille naturaliter tantum possidet. Est tandem *civilissima* quando in certis casibus ex juris privilegio, vel decreto, aliqui etiam ignorantes et rem non apprehendentes censentur possidere; v. g. parvulus, cui haereditas contingit.

II. Juxta Lessium (1) praescriptio tripliciter sumitur a jurisconsultis: 1.^o *Generice*: Praescriptio dicitur «omnis exceptio, »quae opponitur ad excludendam actionem ab actore intentam» et quidem alia exceptio dicitur dilatoria seu temporalis quae accusationem non omnino pro semper excludit sed tantum differt e. gr. si excipias actorem esse excommunicatum. Alia dicitur peremptoria et perpetua quae actionem pro semper excludit e. g. si dicas te nullum emisse equum Titii, Titio exigente a te pretium equi coram judice. 2.^o *Specialius* praescriptio dicitur: exceptio peremptoria, orta ex eo quod rem aliquam legitimo tempore et debito cum titulo, ac fide bona possederimus, vel jure aliquo usi sumus, ut alius ab usu alicujus juris cessaverit (2). 3.^o Praescriptio *stricte* dicitur: acquisitio dominii, vel juris alieni alicujus elisio, orta ex possessione legitima; ratione temporis et aliarum conditionum a legibus requisitarum. Secunda acceptio est prior, nam ex continuatione usus rei vel possessionis rei oritur actio peremptoria praescribendi contra priorem dominum. Definitur (3): «Usu capio »est adjectio dominii per continuationem possessionis, temporis »lege definiti:» sive est «acquisitio dominii per continuationem »possessionis, tempore et modo a legibus definito.»

III. Ad legitimam praescriptionem quatuor requiruntur: 1. *Possessio*, naturalis et civilis initio et in continuatione saltem civilis quam sufficere communiter docent DD. Hinc religiosus non potest praescribere bona temporalia, nec laicus res sacras v. g. decimas clericales, quia illa non possunt civiliter possidere, deest enim ipsis juris adminiculum. 2. *Bona fides* quae est credulitas, qua quis

(1) L. 2, c. 6, n. 2.—(2) Cod. de praesc. long. temp.—(3) L. 3, ff. De usurp. et usucapion.